



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo vasa sacra confiscauerit. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

incendit delubrū, & ipsam Apollinis statuam in cineres redegit: quæ intus lignea quidē erat, sed extrā auro obducta. Quia re cognita, Iulianus auunculus Iuliani, orientis præfectus, prope Daphnen contendit, quò deo, quem colebat, maturè subsidio veniret. Sed vbi vidit eū, qui nomine dūtaxat deus erat, in cineres redactū, verberibus cedit ædituos: suspicatur tamē delubrum ab aliquo Christiano incensum fuisse. Aeditui etiam dum vapulabant, nihil falsi dicere voluerunt, sed incendium dixerunt non humi habuisse initium, sed cœlitus demissum esse. Et rustici quidam, qui in proximo habitabant, eò aduentantes, fulmen se vidisse è cœlo delatum affirmarunt.

Quomodo vasa sacra confiscauerit.

CAP. XI.

Verum impii Gentiles, quanquā hæc ita accidisse pro certo cognoscebant, tamen contra Deum vniuersarum rerum moderatorem se armare cœperunt. Tyrannus item sacra vasa in ærarium regium inferri, & portas Ecclesiæ, quam Constantinus ædificarat, obserari mādāt, quo nullus aditus illis, qui in eo conuentus agere solent, omnino pateret. Hanc Ecclesiam id temporis occupabant Ariani. In sacrosanctum autem templum ad vasa sacra auferenda simul ingrediuntur, Iulianus præfectus Orientis, Felix regij thesauri Quæstor, & Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum imperatoris procurator, quem Romani comitem Priuatum appellare consueuerunt. Felicem verò & Elpidium, cū essent Christiani, quò impio imperatori gratificarentur, à vera religione ac pietate descivisse ferunt. Iulianus autem, cum esset in templo, aduersus sacrā mensam minxisse dicitur: atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum infregisse, dixisseque res Christianorum diuina cura ac providentia prorsus destitutas esse. Felix sacrorum vasa forum magnificentiam conspicatus (Constantinus enim & Constantius splendidè & amplè ea conficienda curauerant) ecce, inquit, quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.

KK

Quas